

Johann Ernst Schaper Karl Friedrich Below

## **Dissertatio Solennis Medica, De Caduco Muliebri**

Rostochi[i]: Wepplingius, [1699]

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769381332>**

Druck Freier  Zugang






RU med 1699.

Johann Ernst Schaper Præs.

Karl Friedrich Below Resp.







Q. D. B. V.  
DISSERTATIO SOLENNIS MEDICA,  
DE

# CADUCO MULIEBRI.



QVAM  
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,  
IN ILLUSTRIS AD VARNUM ACADEMIA,  
PRÆSIDE

RECTORE MAGNIFICO,  
**DN. JOHANNES ERNESTO  
SCHAPERO,**

MEDIC. D. E. JUS & PROFESSORE DUCALI PUBLICO,  
CELEBERRIMO, ET DECANO SPECTABILI  
PATRONO, PRÆCEPTORE, EVERGET A AC  
HOSPITE SUO OMNI OBSERVANTIÆ AC HONORIS  
CULTU AD BUSTA COLENDO,

**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET DOCTO-  
RALIA PRIVILEGIA MORE MAJORUM LEGITIME  
ET SOLENNITER IMPETRANDI,  
DIE XXVI. SEPTEMBRIS ANNO MDCXCIX  
IN AUDITORIO MAJORI,  
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI  
SUBMITTIT.

**CAROLUS FRIDERICUS  
BELOW**

HOLMENS. SVEC.



Rostochi, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

*Ru med 1699*

*1699*



DEO,  
PATRIÆ,  
PATRONIS,  
ATQVE  
AMICIS,





Th. I.



Verm foeminarum morbum alii  
 passionem hysterica[m] vocant, ex eo  
 quod Græcis *ὄστρα* uterum denotet  
 & inde passio suboriatur, aut alii  
 ob suffocationis imminentis cum pa-  
 roxysmo recurrens periculum suf-  
 focationem uterinam dicunt, eum  
 Græci *πνιγμὸν ὄστρα* vocitantes,  
 aut Helmoncius de Asthmate & tussī  
 §. 9. Asthma muliebri vocat, aut  
 Paracelsus per Caducum uteri de-

scribit. *Vid. Op. vol. 1. p. 676.* eum Caducum Muliebrem dico.  
 Germanicè vocari solet, *Die Mutter Beschwerung*; aliis etiam *der*  
*MutterSchlack.* rectius *Der Weiberschlack.*

Th. II.

Hoc titulo præsentem dissertationem velideo insignire vo-  
 lui, cum extra dubium sit, paroxysmum passionis vulgò dictæ  
 hystericae sine spasmō ac convulsionibus fieri non posse, sed  
 cum eò accedere & eò remittente abire paroxysmum. Et quan-  
 quam rō caducum alias casum derepentē factum strictè denotet,  
 ac Epilepsia hinc tribuatur, passioni hystericae tamen æqve, imò  
 quàm convenientissimè tribuendus hic terminus est, quippe mul-  
 tas hystericas epilepticorum instar decedentes sæpius observamus,  
 & quamvis hicce subitaneus casus sæpè deficiat, ac sub Lipothy-  
 mia insigni, wie ein Ausbleiben corripit multas foeminas; morbus  
 sine extensione membrorum tamen nunquam reperitur, sed par-  
 tium sæpius summa rigiditate observabili. *Vid. Carol. Piso Obs. 2*  
*colluvie serosa p. 104.* se manifestat; quam solam membro-  
 rum extensionem ad defendendum sui caduci terminum passioni  
 hystericae datum ejus autor Paracelsus ut principale adducit requi-  
 situm *vid. cit. loc. Oper. volum. 1. p. 676.* Et quid subitaneo opus  
 est casu? cum & spasmus & convulsio, necessaria à Paracelso re-  
 qui sita, præsentis sint, eandemque in diaphragmate & aliis parti-  
 bus factam Paracelsus eaducum dicat; Sic caducus ipsi est intesti-  
 norum

A

norum



(2)

eorum diaphragmatis, dentium, manuum, pedum, testiculorum medullæ, gutturis. &c. *vid. cit. Aut. cit. loc. p. 688.* prout scilicet diversæ spasmæ affectæ partes sunt, imo syndromen morborum Apoplexiæ, Paralysis, Icteriæ, Hydropis symptomata hystericas quoque invadentia per hunc caducum in fœminis suscitari idem *Paracelsus cit. loc. p. 688.* docet. Caducus sic sat magnus omnino fœminis hic morbus est, quocumque modo invadat; an caducus uteri dicendus ex eo quod uterus causa sit, aut solas maritatas feriat, ut *Paracelsus* vult, hæreo, imò nego, quippe uterum, licet sæpius cum cæteris genitalibus si afficiatur, æque tertiam ac aliæ affectæ partes agnoscere causam, constans mea thesis est. Hinc muliebrum dico caducum, partim ne assentiri iis videar, qui in ægritudine inusitati moris in corpore fœminino statim innocentem uterum accusant. *vid. Thomas Willis. de morb. convulso. Cap. 10. p. 102.* partim quod subiectum ac in specie partes affectas determinare possim.

Th. III.

Caducus hicce muliebris igitur, si definiri ab Autoribus Medicis debeat, vario id fieri assolet modo, prout ad symptomata habetur respectus. *Paulo prax Libr. 3. Cap. 7.* recursus uteri ad superiora dicitur. *Moscio* autor Græcus & antiquus eum respirationis impedimentum dicit cum omnimoda quiete. *Mercurialis* huncce morbum per magnam respirationis offensionem cum corporis refrigeratione ex uteri vitio definit *vid. cit. Aut. de morb. mulier. Lib. 4. p. 185.* *Celsus Lib. 4. Cap. 20.* eundem non ita definit quam potius ob numerosa symptomata describit: *exanimare eum feminas, ut tanquam Comitiali Morbo prosternantur cum sopore.* *Capivaccius* refrigerationem totius corporis & uteri dependentem à veneno frigido propter obstructionem vasorum ad uterum pertinentium eum esse refert. *vid. Lib. 4. de aff. uter. p. 858.* *Langius* eum nihil aliud esse dicit, quam ob repletionem versus diaphragma, aut alterum latus convulsionem, vel ob uteri siccitatem, vel menstruo retento, vel humorum affluxu, vel flatu sine exacerbata putridi spermatis virulenta exhalatione. *vid. Epist. Medicin. Lib. 1. p. 106. Lazarus Riverius. Prax. Lib. 15. Cap. 6. p. 251.* prolixus satis in passione hysterica tractanda licet sit, tamen ea potius

tius



3)60  
tius describit, quàm definit, in eo juxta *Galenum* procedens qui *Lib. 6. de loc. affect. Cap. 5.* confiteretur hystericam passionem unum quidem nomen esse, varia tamen & innumera sub se comprehendere accidentia Rectius juxta *Th. Willis. pathol. de morb. convulsiv. Cap. 10. p. 102.* dici potest, partium membranosa- rum motus convulsivus ab omnibus convulsionum causis ortum ducens; aut *Caducus Muliebris* est syndrome variorum symptomatum per intervalla foeminas variè afficientium ex motu partium membranosa- rum tum spasmodico, tum convulsivo.

Th. IV.

Autores ratione determinandi subjecti si circumspicio, differentes eos invenio. *Galenus Lib. 6. de loc. affect. Cap. 5.* Praefocantionem uteri pra alius omnibus magis communem viduis tribuit, post has quoque virginibus adultis; omnes reliqui antiqui autores nullam esse sexu sequiori excipiunt, modo aetatem habeant semineq; abundant. Sed *Paracelsus. Oper. s. Vol. 1. p. 678.* non nisi foeminis huncce vindicat morbum, virgines vero, quarum velut matrices expertes sint conceptionis, nec adhuc irritatae aut palatae, ut & viros ab illo morbo liberat. Cum certi quid determinandum, statuo: promiscue mulieres pariter & virginès, & maritatas, juniores & vetulas, huncce morbum pati nec respectum haberi debere ad aetatem, quippe nec puellae exceptae sunt, licet nondum pubertatem compleverint; Testes sunt, tam *Th. Willis cit. loc. p. 102.* quàm *Carol. Piso. de colluv. seros. p. 119.* Nec ad sexum attendendum esse porro assero, si res est fundamento decidi debeat, quippe observationibus Excellentissimorum Medicorum tot ac tantis mea adducta adeò confirmata sunt, ut dubitare non amplius liceat, quemadmodum id non tantum à *Willisio* experientia probatum legimus. *Vid. Pathol. de morb. convulsiv. Cap. 10. p. 102.* Sed prolixè satis in Propemptico Magnifici Dni, Praesidis dissertationi praemisso videri id potest. Hic tamen tantum subjectum morbi sexum sequiorem sistimus, quatenus jam nostrae considerationis morbus in eo sexu est.

Th. V.

Non minor Autorum dissensus in Parte affecta specialius determinanda



terminandâ reperibilis est. Plurimi tamen accusant uterum, eumq; unquam hujus morbi partem dicunt; inter illos præter *Galenum, Vesalium, Realdum Columbum, Julium Cesarem Aurantium,* porrò *Eustachium Rudium Lib. 2. Art. Med. Cap. 51, Fernelium Patbol. Lib. 6. Cap. 16. & Roderisum à Castro. part. 2. Lib. 2. de morb. mulier. consentientes reperio, alios ut non adducam. Sylvius verò ab horum recedit opinione ac non uterum, sed intestina tenuia partem affectam dicit *Vid. Prax. Med. Append. p. 767. & Willisius affectionem dictam uterinam præcipue ac primariò convulsivam cum dicat, cerebrum & nervosum genus potissimum affici statuit. Vid. Th. Willis. Patbol. Cap. 10. p. 104.**

## Th. VI.

Utraque Sylvii & Willisi opinio non sine fundamine est, sed suâ omninò nititur experientiâ, interim quod moneri potest, id est, neutram universalem esse opinionem, quippe non in uno semper latitare fomitem loco, diversus praxymî cum diversis symptomatibus stipatus accessus probat. Siquidem caducum muliebrem tantum in infimis hypogastrio scilicet & artubus fuisse referunt *Ephemerid. German. A. N. C. Decur. 2. Anno 10. p. 108. & post sive oblectamentum quod foeminae sentiunt dum ruunt in amplexu mariti, quandoque juvenulam quandam à femine mariti accepto ipsò momento summis affectam esse uteri passionibus cum recurrente sapius animi deliquio donec semen rursus effluerit, testantur *Ephemerid. German. A. N. C. Decur. 1. Anno 3. Obs. 233. Idem in matrona alia factum ex *Taldeo Duno Lib. Miscel. de re Med. Cap. 9. recenset *Schenkius Obs. Lib. 4. p. 704. & Carol. Piso è contrario refert generosam quandam mulierem fuisse, quæ quoties hystericis subijci debet symptomatibus, primum gravissimo trium dierum occipitis dolore pressa fuit antequam alia subsequerentur symptomata. vid. cit. Aut. Obs. à colluv. serof. p. 132. & in eavifum ac auditum illibatam fuisse præter citat. *Pisonem de aliis & alii observatores idem asserunt. *Horstius Lib. I. Prax. part. 2. de morb. mulier. p. 59. de muliere hystericis passionibus satis vexata refert, eam respondisse se nil molestiæ in ventre inferiore percipere. Id quod cum pariter observaverit Willis hinc******

nec



nec prorsus excludit uterum, nec alias eximit partes, siquidem fe-  
dem mali & in mesenterio latere posse per membranas ejus ab  
invicem solutas repertas asserit *vid. cit. cap. 10. de morb. convulsiv.*  
*p. 115.* Idem in virgine quadam ex tumore exiguo subter ospubis  
cum dolore atrocissimo exorto horrendum caducum muliebrem  
notat. *vid. cit. Auct. Cap. 2. p. 108.* Ex compressis glandulis in-  
guinalibus à subligaculo in hernia male adaptato in puella  
duodecim annorum idem refert p. 109. & ob noxam utero  
illatam puerperis accidere hunc morbum & absque cerebri culpa  
sed rarius fieri pariter asserit *Willis cit. Cap. p. 109.* Sic tantum in-  
dicat quanam pars ut plurimum accusanda sit. Hoc intuitu igitur  
si pars affecta in genere determinari debeat, omnes membra-  
noso-nervaceas partes tam quæ in humiliori ab dominis regi-  
one ab ossis sacri, Ilei, Coxendicis, ac Pubis concursu effor-  
mata pelvi, spongioso-fibrosam numerosis à spermaticis  
& hypogastricis oriundis arteriis ac venis flexuoso ac  
serpentino ductu excurrentibus, nervis itidem è plexu-  
mesenterico magno & sacri ossis spinali medulla extensis ac  
copiosis vasis lymphaticis superficiem rivulorum instar se au-  
gescentibus & ad chyli receptaculum excurrentibus perfusam,  
glandulisque copiosis præditam ac ligamentis tum latis tum ro-  
tundis firmatam, & in suo loco detentam densam substan-  
tiam Uterum, una cum tubis & ovariis ac iisdem vasis arte-  
riosis, venosis, nervaceis, & lymphaticis stipatis tegunt & inve-  
stiunt, ac porrò quæ fibrosam, raram, laxam, arteriis venisque ab  
hypogastricis ac hæmorrhoidalibus, nervis itidem ac copiosis con-  
glomerationibus botryformibus ex indefinitæ ovalis figuræ glan-  
dulis constantibus pertexam uteri vaginam ambiunt ac muniunt,  
quàm quæ reliquas in ventre inferiori & cavitatibus aliis partes te-  
gunt, ambiunt & arte circumvestiunt, partem caduci muliebris  
affectam statuo, nec sic cerebrum nervorumque principia excipio,  
si scilicet vel sano corpore mulier exinopinata animi vehemen-  
tiori commotione vel aliâ ibi excitata causâ morbus hicce orietur,  
& ubi nervi sunt ac membranæ, ibi convulsiones ortum capere &  
huc ac illuc effectum suum extendere posse firmiter persuasus sum.



Caduci muliebris hujus symptomata magna sunt & juxta Sydenham in *dissert. de affe. byst. ad Guilielmum Cole p. 99.* in compositâ ac inordinatâ farragine invadunt foeminas. Primam autem vim eamque frequentem in abdomine ventre infimo percipiunt foeminae, ac percipiunt subinde borborygmus & rugitus varium edentes sonitum, qui si aucti fuerint, jam ranas coaxantes, jam serpentes sibilantes referunt ut vel Dæmoniacæ habitæ sint. *Vid. Ephemer. German. A. N. C. Decur. 2. Ann. 7. p. 159.* Accedunt his ventriculi inflatio sæpè insignis vesicæ ad instar inflatæ, & hypochondriorum nunc distensiones. *vid. Willis. de morb. convulsiv. Cap. 10. p. 102.* eæque tantæ, vel etiam in abdominis alia parte v.g. hypogastrii regione, ac si à vivo animali perumpi abdomen velit *vid. Ephemerid. German. A. N. C. Decur. 2. Ann. 7. p. 159.* nunc hypochondria violenter intus trahuntur, quæ quid legimus in *Ephemerid. German. A. N. C. Decur. 2. Ann. 2. p. 385.* nec dolores ut plurimum vagi rarius fixi emanent, sed jam colici, jam passioni Iliacæ similes sunt *vid. Sydenham. dissert. cit. ad Guilielmum Cole p. 89.* Hisce supervenit motus cujusdam globi impetuosè moti in abdomine & ex eo superiora versus ascendentis *vid. Willis. cit. loc. de morb. convulsiv. p. 102. & Ephemerid. Germ. A. N. C. Decur. 2. Ann. 2. p. 385.* & dolores juncti jam sunt lancinantes sæpius cum æstu insigni, quæ quid Magnificus Dn. Præses nuper in quadam foemina observavit, jam contorquentes sunt iique tales, ut intestina cum mesenterio variis factis vibrationibus mirabiliter convellantur. *Vid. cit. Ephemer. Germ. Decur. Annus. 2. p. 385.* imò umbilicus interior versus retrahatur, ut fovea in illa regione notabilis formetur. Nephriticis pariter torquentur doloribus ac si metuenda calculi sit excretio cum symptomatibus in calculo renum & vesicæ observabilibus *vid. Sydenham. cit. dissert. p. 90.* Porro adsunt copiosi ructus & flatus, qui dum per utrumque guttur erumpunt, afferunt levamen, quos vel comitantur, vel mox excipiunt vomitus, per quos magna sæpè eaque viridis bilis ad instar porraceæ, vel alterius insoliti coloris ejicitur humorum colluvies *vid. Horst. Lib. 1. Prax. de morb. mulier. part. 2. p. 73. & Sydenham. cit. dissert. p. 89.* dum in-

terim



77  
terim alvus ut plurimum confipata, vid. Etmuller, Prax. part. 2. p. 2.  
quibus tandem supervenit icterus, quò teste Sydenhamio post-  
quam ægra ad multos jam dies, & continuo vomituritionis co-  
nata tantum non fuerit enecta tandem paroxysmus solvitur vid.  
cit. Aut. cit. loc. Quod si autem hæc indigitata saburra deficiat,  
inanis tamen vomendi conatus aut nixus adest; vid. Willis cit. loc.  
p. 102. Sed præcordiorum anxietas tantò major, und nullus ibi  
das Herg abdrucken/ juxta Etmulleri Praxin parte 2. p. 26. quibus  
supervenit cordis palpitatio sæpè tanta, ut quæ eam patitur foemina  
pro indubitato habeat, fonitum cordis in costas arietantis etiam  
ab adstantibus omninò debere percipi. vid. cit. Sydenham. p. 88.  
cum debili ac verè omni suppresso sanguinis pulsu, quibus nec  
syncope deest, nec respiratio inæqualis, interrupta & difficilis, aut  
juxta Sydenham. p. 94. adest spirituum subsidencia & pul-  
monis regionem simul indignant ægri. Sic suffocatio verè immi-  
nèt, & malo graviore respiratio ad sensum abolita est cum aspe-  
ctu cadaveroso. Vid. cit. Willis p. 102. & 107. ut diacriticis opus sit,  
quibus à suffocatis vindicentur, nam sæpè corporis totius refrige-  
ratio insimul adest plerumqve non nisi paroxysmo finito dissipa-  
bilis. vid. cit. Sydenham. p. 93. Alias tussis creberrima vexat,  
sed cum inani expectorandi conatu, quæ tamen rara vid. Syden-  
ham. p. 88. & Horß. Lib. 1. part. 2. de morb. mulier. Quibus-  
dam autem tanta in collo angustia oritur, aut cum Willisio cita-  
to, præfocatio in gutture est, acsi vel magno immisso corpore an-  
gustetur, vulgus exprimit Die Mutter steigt ihnen in den Hals vel  
magna moles intrudatur, vel laqueo constringatur. vid. Etmull.  
Prax. part. 2. p. 26. Huic juncta quoque esse solet copiosa salivæ  
tenuis excretio, quam Ptyalismum vocant. Vid. Carol. Piso Obs.  
& colluv. serof. p. 126. quæ declinante imprimis paroxysmo adhuc  
durabilis vid. cit. loc. cujus loco aliis è muliebribus locis hu-  
mor quidam effluit vid. Lazar. Riverius Prax. Med. Lib. 4. Cap. 6.  
p. 453. & Ephemerid. German. Decur. 2. Ann. 2. p. 468. Nec à  
vertigine infantes sunt ægræ vid. Willis. Lib. cit. loc. citat. Sed  
affici sub paroxysmi accessu solent, eaque aliquando tali ut cum  
oculorum tantum aliàs rotatio fiat: vid. Willis p. 102, jam aliæ  
cali-



caliginem quandam observent obversari ob oculos, jam ipsa  
cæcitas oculorum vel horam vel diem integrum reliquis caduci  
muliebris symptomatibus antecedit, quæ quid Carolus Piso in  
sexu sequori *cit. Obs. p. 106. § 107.* observavit. Quandoque verti-  
go caduca est, & ægra derepentè decedit *Vid. Etmull. Prax. part.*  
*2. p. 26.* quam vel Apoplexia aliquando excipit & ea in Hemiple-  
giam solvitur *vid. cit. Sydenham p. 86. vel in Paralyfin mutatur*  
*vid. Paracels. Oper. volum. 1. p. 68.* Quandoque spasms horren-  
dis tentantur tales ægræ, Epilepsiæ planè similibus, ut impossi-  
bilè videatur corpus ita flecti, ac concuti posse, quæ horrendum  
exemplum legimus in *Ephemerid. Germ. A. N. C. Decus 1. A. 9.*  
*p. 114. § Ephemerid. German. Decur. 3. Annus 1. App. p. 76.* imo ut  
tales adstant um ope vit retineri possint, *vid. Sydenham.*  
*p. 87.* Interim tamen frequentius convulsiones epilepticæ circa  
abdomen & thoracem & caput reperiuntur, scil. in eorum ali-  
quo, aut successivè in omnibus paroxysmi tragœdia peragitur.  
*vid. cit. Willis p. 102.* Cephalalgia multis mulieribus frequens  
est, & enormis vomitus subsecuturi in caduo muliebri indubi-  
tatum signum, quæ quid in muliere quadam eo modo cadu-  
cum muliebrem patiente Magnificus observavit Dns. Præses. A-  
lias fatigat Clavus capitis *vid. cit. Sydenham. p. 88.* Aphoniæ quo-  
que fiunt *vid. Willis: cit. 101. § Carol. Piso Obs. cit. p. 104.* sæpius  
magno cum sopore vel tanto, ut etiam omnes sensus deficient, si-  
quidem de tali ægra refert *Piso*, visum in paroxysmo evidenter  
abolitum fuisse, auditus nulla excitari potuisse indicia, nec sapi-  
dis horrendis nec foetidis commoveri eam potuisse, à paro-  
xysmo autem statim mentem sui juris esse potuisse. In  
aliis cum sensibus reliquis illibatis Aphoniam factam idem *Piso*,  
& iis illibatis quoque convulsiva symptomata fieri *Etmullerus*  
aliis testantur. Nec sine delirio manent, sæpè enim vel rident  
cum cachinnis, vel tristia proferunt & lachrymas fundunt sæpè  
contra voluntatem: *Vid. Sydenham cit. p. 94. § Ephemerid.*  
*German. Decur. 2. An. 9. p. 115.* Quæ omnia cum gestibus miris pro-  
dunt, & de cætero nullæ fere sunt passiones, jam timor, jam  
ira, jam suspicio, gaudium, spes horror, &c. quibus non ob-  
noxia



96

noxiae si non omnes omnibus, quaedam tamen quibusdam iisque  
 corpori inducunt carnificinam. id quod egregie describit Sy-  
 denham. cit. diff. p. 96. & 97. cuius verba hinc integra ut ap-  
 ponam intermittere non possum. Neque hos tantum nomine  
 infelices sunt, quod corpus ita male affectum & quasi conquassatum  
 ad instar adium ruinas undiquaque minitantium, tantum non cor-  
 ruat & faciscat, cum magis adhuc animo egrotent quam corpo-  
 re. Cum enim desperatio plane insanabilis de huiusce morbi  
 natura sit, indignantur admodum quoties aliquis vel minimam  
 de sanitate recuperanda spem injecerit; facile interim credentes o-  
 mnia se, quaecumque in homines cadere possunt incommoda, quaeq; adeo  
 fert rerum natura, perpassuros; tristissima quaeq; sibi ominan-  
 tes, atq; timorem, iram, Zelotypiam, suspiciones, & si quae atrociora  
 sunt animi pathemata, vel ex levissima, vel etiam nulla prorsus  
 data ansa, arripientes, & sine foventes irrequieto anxioque ab-  
 omni interim gaudio, spe, letitia abhorrentes: quae si forte occur-  
 rant, quando haec rara aves sunt, velocissime avolant, animum in-  
 terim baud minus vehementer exagitantia, quam solent maestiora  
 illa pathemata; ita ut nullubi mediocritatem servent, in una levi-  
 tate constantes; nunc amant praeter modum, mox odio eosdem sine  
 causa prosequuntur: nunc hoc illudve sibi agendum proponunt, mox  
 a proposito resiliunt, & quod cum eo pugnet aggrediuntur, sed neque  
 hoc peragunt, ita animi pendentes ut nunquam liceat quietam mentem  
 consistere. Quodq; de superstitiosis asserit Orator Romanus, nostris hi-  
 ce Melancholicis pulchre quadrat, per fugium videtur omnium labo-  
 rum & sollicitudinum esse somnus, at ex eo ipso plurimae cura metusq;  
 nascuntur; dum funerat animum in somniis, & de narorum amicorum um-  
 brae representantur. Tanta cum earum, quae caduco muliebri eoqve  
 gravi, tenentur, tragocedia sit, nec artus immunes manent, sed  
 rigiditas eorum individua comitatur paroxysmum, eaque tan-  
 ta, ut jam totum corpus rigidum, jam certae partes tam rigidae ut  
 citius frangi quam moveri potuissent vid. Ephemerid. Germ. De-  
 cur. 1. Anno. 9. p. 114. & ex eo rigore Catalepsin seu Tetanum  
 sapere potius quam convulsivum motum in alia observavit Piso  
 p. 104. Quandoque tamen & artus convelluntur, testantibus  
 idem Pisone cit. loc. Horstio de morb. mulier. p. 81. & Ephemerid  
 Germanor. Decur. 1. An. 9. p. 114. Nec sine doloribus manent,  
 sed



ad juxta musculorum partem dolent & tumore afficiuntur sæpè hydro-pico, nisi eo distinguatur, quod protuberantior matutino tempore sit, nec digito cedat prementis. *Vid. Sydenham. cit. dissert. p. 92.* Hæc & alia è quibus multa horrenda sunt symptomata non quidem omnia simul in uno oriuntur subiecto, nec quæ enormia facillè reperiuntur, nisi morbus hicce in statum pessimum evectus sit; in omnibus tamen urina lym-pida instar aquæ fontanæ. *vid. Ephemerid. German. Decur. 2. An. 7. p. 159.* vel aquæ salientis è rupibus *Vid. Sydenham. cit. dissert. p. 94.* signum præsentis mali pathognomicum reperitur. Reliqua annotanda tamen sunt, cum sæpius inopinatò in una ægra caterva & horum farrago se cumulare possit, eaq; omnia id nobis relinquunt utilitatis, ut Paroxysmum præsentem & acutum signis distinguamus ab iis, quibus & paroxysmus remittit, qui super-veniente sudore tandem ad declinationem tendit, vel quibus imminet, inter quæ omninò leviora sunt Pandiculationes & Oscillationes; quæ tam frequens imminetis caduci muliebris signum hic Rostochii esse solent, ut ferè ad quamcunqve mulierum osci-lationem adstantes paroxysmum caduci hujus metuant.

## Th. IIX.

Ostensis morbi symptomatibus quæ diagnostica sunt quibus hic Muliebris Caducus cognoscitur, ad causas meritò me accingo; è quibus proximam & immediatam causam partium indigitatarum convulsivum ac spasmodicum dico motum, excitatum à spiritu motu ac influxu inordinato eoqve copiose facto à causa quadam vellicante, ad quam levem & ordinatam cum naturaliter ex lege conjunctionis spiritus in certas partes influant, nec id averti possit, sic si causa major, majorem quoqve & eum inordinatum causatur influxum, ut partes membranosa jam tensa magis tendantur cum ruptio-nis periculo, & hinc non tantum spasmus sed simul junctus dolor humorumqve circulantium retardatus motus imo stagnatio oriatur, & quæ alia sunt ex motibus spasmodicis ori-unda mala inferius explicanda.

## Th. IX.

Proxima autem hujus caduci muliebris causa, aliam antecedentem scilicet lympham, aut ipsos respicit spiritus; fluida quæ



II

quæ ut è sanguine natales habent & per secretionem à sanguine lymphæ tum in glandulis variarum partium, tum cerebri glandulis spiritus separantur, & Lymphæ lubricat membranas ac sicut molles, ne fibræ rigidescant, reliquæ resorbentur, & spiritus animales, per nervos glandulas in secretionem juvantes insimul omnes partes & membranas naturaliter retentas ac tremulas servant; sic indolem non mutant, sed eandem cum sanguine referunt. Quamprimum igitur latex hic purpureus peccaverit, non tantum sub ipsa secretionem, sed & naturali inundatione circa partes lymphæ vellicando spiritus & copiosiores quàm requiruntur, & ad influxum inordinatum cogit, nec hic terminus, aut in eâ tantum causa est; sed spiritus ipsi si vitiosi, eo dum influunt nervos nervorumque ejusdem texturæ subtegmen non attingunt, quin eo simul momento vellicent, & illi ipsi spiritus nervos cum membranæ ad spasmos agant. Hic motus igitur cum nec ad mensuram, nec ad voluntatem haberi possit, ex Spirituum vitio æquè; circa nervorum principia ac in eorum medio, vel itinere longinquiori fieri potest, hocque in casu sic & cerebrum pars affecta esse & spiritus una cum lymphæ, vel soli causam antecedentem constituere possunt.

Th. X.

In vellicatione consistens hæc causa porro supponit acrem, cujus indoles vellicare, imò scindere ex figura est. Id lymphæ & Spiritus è sanguine deportantes retinent, Prior, cum maxima parte ex aquosis partibus salis proprio menstruo constet; Posteriores, quia jam tum ætherei spiculas agiliores faciunt ac faciliè secum gerunt, sic sine diathesi spasmodica nervos ne quidem attingere, ne dicam influere valent. Hocce autem acrum inter reliquas sanguinis partes sese acuit & quod initio aciculas refert & salinum dici meretur, tandem in acinaces politur ex utroque latere scindentes acidum est, vel dandatas altero latere instar Serræ protuberantias obtinet, & constituitò acido-austum, suasque aciei diversas figuras prode non tam spasmo diverso vehementi, quàm doloribus diversis inferius determinandis. Non simul autem nec semel hæc acies fit, sed longiori demum temporis intervallo, nec requiritur, sed

sufficit



sufficit si quicquam acre adsit, aut alia quaedam causa fortuita oriatur, quâ spiritus in ordinatè influentes spasmos excitare possint. Interim dum spasmi fiunt quam leves etiam initio sint, sæpè tamen vel ex quacunque causa recurrentes sanguini & humoribus semper remoram & obicem ob vasa sæpius compressa ponunt, quibus sæpius repetitis humores mixtura turbantur, acuiuntur, acescunt & ex acidi efficacia incrassantur, obstructionibus parandis apertissimi fiunt. Hæc omnia autem fieri nequeunt, quin spasmi majores & pertinaciores fiant, usque ipsi fluida magis coagulentur ac ferè stagnent, quare quid de hypochondriaci cujusdam proximo affinitatis gradu hystericae juncti sanguine asserit *Thom. Willis p. 46. de morb. convulsiv.* è cuius brachii secta vena, foramine non obstante sat amplo sanguis tamen non tantum lentè effluebat, sed & statim coagulabatur, eo modo ut in pelvim exceptus in molam acuminatam excresceret. Talia cum & in foeminis caduco muliebris laborantibus fieri possint, mirum non est, cur in tam tragicos sæpius rapiantur motus.

## Th. XI.

Ad remotiores igitur causas cum respectus habendus sit, caducus hicce muliebris è naturalibus quidem oriri potest, si fluidis vel nativa vitiosa inest crasis, quâ spiritus eadem labe affecti spasmos facile excitant, & in multis hinc puellis sæpius observatur, vel si adventitia eadem crasis fiat, quod referri meretur Observatio curiosa quam *Carol. Piso in morb. à Colluo. serof. p. 105.* recenset à temeraria lecti succussatione aut lectica jactatione, à mulo vectore forte ad lapidem impingente & titubante, vel à strepitu ambulantium per cubiculum, item à campanarum sonitu in foemina quaedam factam, spirituum debilem valde crasim indicantem, aut si caducus muliebris periodicus à mensibus per ingravidationem cohibitis oriatur, quem notavit *Willis Lib. de morb. convulsiv. Cap. 10, p. 112.* Et non naturalibus rebus autem maxime hicce promovetur morbus, è quibus primas in nocendo tenet Aer, hic è partibus diversissimis compositus licet cento sit, non tamen impedit, quin adhuc plura quo  
tidie



tidie accipiat, eaque diversiffimæ, quibus, si non his, aliis tamen si non crassis vel acris partibus, æthere tamen vel utroque modo latiori nostro purpureo, imò solidis nostri corporis partibus nocet. Efficacia aeris omnino tanta est, ut quemadmodum sanguinis motus vitalis elasticâ aeris vi conservatur, sic non facile in orbus reperiatur, quin aëre promotus sit, Hippocrates hinc non sine causa dixit. *sect. 3. Aphor. 19. Quilibet morbi in quibuslibet temporibus fieri possunt.* Alius tamen magis præ alio nocet, imprimis autem qui frigidus, is enim sæpius caduci muliebri causa est. *Vid. Foresius Obs. Lib. 28. Obs. 31.* Aut si æquilonaris, autumnalis, vel hyemalis est. *Vid. Paul. Æginet. Lib. 3. Prax. Cap. 7.* à refrigeratione corporis nimia eum ortum referunt *Eph. Germ. A. N. C. Decur. 2. Anno 7. Observ. 115. p. 288.* Et ab utero nondum satis connivente, aeris frigidioris injuriis autem incautè exposito idem testantur; *cir. Ephem. Obs. 105. p. 252.* Is enim ad obstruções citius concipiendas non tantum solidas partes disponit, sed fluidorum motum retardat eaque incrassat, quod eò facilius inde metuendum est, quo spiritus animales fluidis reliquis omnibus calcar aliàs addentes ex illo aëre à suo expansivo motu retuli, torpidi, & ignavi per nervos profuunt, sed eò aptiores ad servandum spasmum, ad quem frigore invitantur. Et aër iste cum sine miris effluviis non sit, hinc tum acidæ, tum squalore & inquinamenti alienis, quibus sæpius scatet, Spiritus in spasmos cogit, & feminis molliori corporis texturâ præditis ac ob sedentariam vitam materiæ mortificæ uberiolem copiam congerentibus & particulis fermentativis scatentibus, *vid. Willis cir. loc. p. mo. caducum frequentem inducit.*

## Th. XII.

Vicina aëri in non naturalibus sunt alimenta, quæ magno nocendi semineo scatent, vel ideo quo non semper evchyma & evpepta à sexu sequiori assumuntur, sed sæpè nociva, Sexus sequior enim appetibus sese prorsus tradere solet & ejus mentes corpori ita immerse sunt, ut ad minima corpori oblectamenta attendant; sic pro appetitu qualibus vescuntur



foeminae, fabis, videlicet lentis, caſeo, carne fumo & ſale indurata, fructibus itidem crudis auſterisque horraeis, & aliis ſimilibus, potu porro minus fermentato cereviſſâ vel muſto aluntur. Chylus inde paratus crudus, ſedentariâ quam agunt, vitâ ulterius non inciditur, hinc vitio primæ concoctionis non per ſecundam correcto, ſanguinem non niſi craſſiorem & terreſtrem conſtituit ad obſtructionem aptiſſimum, nec ſola craſſities ſufficit, ſed jam acida, jam auſtera, ſalfa, acerba, & acria inordinato appetitu ſub Picæ ſpecie inſimul aſſumuntur, quæ ſanguinis craſſitiei id ſuper addunt, ut ſimul figuris acutis & ſcindentibus vel dentatis & ſic lacerantibus noceant, hinc quicquid alluit membranas & tendit & vellicat & rodit eas, nam fluida omnia ſcatent acrimoniâ & ſic mutuo adiutorio opere ſuffragio collinant unanimi, quò inordinatus hic & exceſſivus foeminarum appetitus inordinatis & exceſſivis compenſetur ſpasmis, und müſſen ſie leiden ſübr das Buch ſchmecken/ was ſie immer können. Dicta horum ſcorbuticæ & quæ primas vias acido refertas gerunt foeminae, ſuo ſæpius recurrente atroci caduco, præter Etmulleri, Williſii, ac Sylvii obſervationes ad amuſſim & miſericordiam uſque teſtantur, ( hinc quoque tales à levi purgante hystericas notamus, quo ſpiritus inordinate moventur. vid. cit. Sydenham. Diſſert. cit. p. 115. ). Quod ſi hiſce jungatur exceſſiva aſſumendi copia & præpoſterus aſſumendi modus, ( in quò ut plurimum foeminae peccant, ) & ſic nimis ſibi contraria ſin, nec blando combinari poſſint motu, quid aliud ſperare poſſumus? quàm turbas in ventre & illum morbum, quem caducum muliebrem vocant, id quod de Moniali quadam eâ ex cauſâ hystericâ paſſione laborante, refert Horſt. Lib. 1. de morb. mulier. p. 79.

## Th. XIII.

Motus & Qvies ut & Vigiliæ ac Somnus ſuum quoque conferunt ſymbolum, quam primum modum excedat ex hiſce unicum. Quicquid motui, id quoque vigiliis tribuendum eſt, neutrum ſine ſpirituum diſpendio ſit, & quam primum modum excedunt, ſpirituum animalium a deſt anona, humoribus relin-



relinquitur crāssities, quam cursu non tardo sequitur acies, ad quam datā procatartica causa spasmus sequitur. Contrarium quidem sibi vindicare videntur Quies & Somnus, ubi non æq; tantum spirituum metui debet dispendium aut anona, sed utriusq; loco sufficere id potest, quod quiete & somno modum excedentibus spiritus animales in ipso supprimantur ortu, ac fluidis inducatur lentor circuliq; tarditas; hæc fluidorum in tubulis solito longior mora cum semper suspecta, aciemque pariat, facile nocumentum præbet, & se manifestat caduco muliebri.

## Th. XIV.

In excernendis & retinendis si oboritur labes lerna majorum ac insignis caducus non nisi metui potest. Ex alio adstricta mulieres sæpius paroxysmo hysterico tentari quotidiana docet experientia, qui non minor est, si vomitus vehementior vel ex errore commisso vel assumpto emetico oboritur, latius serpit spasmus ac multas partium multarum membranas in spasmum cogit. Præcipuum quod excernendum est, luna poscit, hinc æther quam primum sine effectu sanguinem ad effluxum urget, non minimas causatur hystericas passiones quæ quid referunt *Hildanus Centur. 4. Obs. 31. & 33. Rodericus à Castro de morb. mulier. Lib. 2. Sect. 1. Cap. 1. Mulieres inquit quæ probè purgantur scilicet mensibus rarè hysterica sunt, ac frequenter illæ quibus menses supprimuntur; & ob hujus fluxum impeditum puellam 15. annorum hysterice convulsionibus tentatam fuisse Aët. Hassniens, Volum I. p. 146. testantur, idemq; asserit Willis de morb. convulsiv. Cap. 2 p. 110. & ex lochiis retentis in puerperis insignes sæpè insultus hystericos fieri quotidiana praxis docet. Ex hisce causis caducus muliebris si fiat, quis dubitabit in iis uterum ejusq; membranas affici? Sed magno omninò dubitatur fundamine, mensium enim fluxus cum non ex utero, sed vaginae uteri vasis fiat, uterus si pateretur, per consensum id esset, sic eo magis insons manet, quo sæpè in foemina sæpius abortiente is plane insons & immunis reperitur, cujus egregium inter alia, & notatu dignum recenset exemplum*

Willis



*Willis cit. loc. p. 112.* ubi post fata hujus hystericae non uteri sed mesenterii membranae solutae & flatu distentae notabantur, *vid. cit. Aut. p. 114.* hinc nisi membranae uteri laesae, vel lochiis retentis, vel lymphae acriori vellicatae non facile uterus afficitur qualem quid *Varandaeus* imprimis notat *Lib. 1. C. 6. de morb. mulier.* Membranae vaginae uteri autem ut in mensibus obstructis ita & a retentione liquoris unctuosi laeduntur, quem conglomerationes ex ovalis figurae glandulis compositae botryformes vaginae sensim ac sensim eructant, hic si sistatur vel e frigore vel aliis poros constringentibus causis, mox cogit membranas ad spasmos ac miserè torquentur foeminae, *vid. Gabelchove ri Centur. 4. Cur. 95. Erimuller. Prax. part. 2. p. 35. & Ephemerid. German. Decur. 2. Ann. 2. p. 464.* Hinc & mulieres fluore albo laborantes; licet inde debilitentur, libentius tamen eum tenent, quam ut istum subito sisti curent, non explicandis enim quam primum cohibetur, passionibus tenentur foeminae. Et si *Galenum* evolvamus *Lib. 6. de loc. affect. Cap. 5.* legimus viduam hystericam provocato per titillationem & effuso crasso semine quod collegerat, restitutam esse. Id quod & *Rodericus à Castro cit. loc.* asserit. Sed ut in omnibus modus requiritur, sic & retinendorum excretorum excessus nocere possunt, Sic vel nimium mensium fluxui passionem hystericam successisse legimus apud *Lazarum Reverium. Centur. Obs. 94.* vel quod lochia nimia angant puerperam torminibus.

## Th. XV.

Denique succedunt animi pathemata ultima in rerum non naturalium ordine, sed hic primus ipsis deberetur locus, haec enim regunt in sexum sekviozem, ac mulieres pariter suis obediunt passionibus, siquidem a levissima causa commoveri ita possunt, ut ipsas sedare saepius non levis labor sit. Tam repentini igitur passionum insultus cum ipsis fieri possint a quavis animae subita perturbatione huncce muliebrem caducum oriri statuit per experientiam *Carolus Piſo Obs. seros colluv. p. 104.* Sic de agra quaedam hystericæ sive terrore ex conspectu v.g. araneae aut muris strepitu, sive repentina latitia ex conspectu, vel au-



ditu rei ridiculæ, aut jucundæ, siue meditatione acri seriae animi  
 contentione symptomata caduci muliebris evenisse testatur. à  
 mærore hocce contractum malum Willis notat. *Lib. de morb. Con-*  
*vulsiv. Cap. 5. p. 48.* è quo ob retardatum conjugium idem ori-  
 tum referunt *Ephemerides. Germ. Decur. 1. Ann. 9. Obs. 42. p. 113.*  
 Ex irâ tales insultus Magnificus Dominus Præses in foemina  
 notavit, quæ quoties ira afficitur in simul caducus muliebris  
 se jungit: Et quot non ex subito terrore tales ægræ fiunt per  
 experientiam confirmatæ? Huc faciunt paroxysmi hyste-  
 rici ab odoribus excitati, quibus æq; animi pathema abhorre-  
 scentia excitatur. Hæc frequentissimæ causæ in muliebribus sunt,  
 licet cæterovin sanæ fuerint, ast eo majorem vim habent, quò  
 in corpore acido-austeris humoribus referto excitantur. Hinc  
 parturiens quæ postquam tempore gestationis appetitu ad noxa  
 propenso, crudis, austerisque fructibus se impunè oppleverat  
 ex altercatione cum marito muliebri caduco subito ac eò citius  
 extinguebatur. *Vid. Pecclin Obs. 30. p. 69.* His enim abortis cum  
 inde spiritus promptissimè inordinatè moveantur, mulieribus  
 quibusvis caducus muliebris frequens est, nam earum systema  
 nervosum delicatum & valdè sensibile à spiritibus animalibus  
 in varias motus exorbitantias & ataxias erumpentibus facilè in  
 spasmos cogitur, id optimè notavit Sydenham, *quoties inquit,*  
*me consulunt foemina de hoc illove corporis affectu, cujus ratio è*  
*vulgaribus Morborum dignoscendorum axiomatis nequeat reddi,*  
*nunquam non diligenter ab iis exquiro, an non eo de quo conque-*  
*runtur malo tum præcipuè fatigentur cum tristitia, arumna, aut*  
*alia aliqua perturbatio eos male habeat, quod si annuerint, jam sa-*  
*tis superq; mihi constat morbum in hac de qua agimus tribu cen-*  
*sendum.* *vid Sydenham. dissert. cit. de affect. hysterie. p. 99. cui*  
 quoq; Willis aliq; adstipulantur.

Th. XVI.

Ex præternaturalibus, quibus Caducus Muliebris excitaripotest,  
 non multa adducam, siquidem aut ulcus aut humorum acri-  
 um congestiones in partibus membranosis circa uterum aut alia  
 viscera consitis, aut tumores, aut compressiones alias parti-  
 bus

C



bus sensibilibus factas ad spasmos eas cogere posse, non tantum  
 lana dicitur ratio, sed Autorum, Willisii aliorumque observatio-  
 nes satis probant.

## Th. XVII.

E. recensitis causis enarratorum symptomatum evolutio si  
 facienda, sequentibus ea fieri posset. Borborygmi & rugitus va-  
 rios sonus edentes frequentius in hysteris dictis audiuntur, ef-  
 fectus necessarii ab iis, quibus fluida earum referta diximus, vi-  
 scidi humores enim cum aciditate sæpius austerâ in intestina nec  
 è sanguine depluere, nec modo assumpti advehi poterunt, quin  
 dum intestinorum poris impinguntur eos adstringant & con-  
 trahendo obstruant, per quos ex arteriarum & circumjacenti-  
 um poris eructati & in intestina depositi vaporosi humores cum  
 sic liberè egredi & transire nesciant, sed irritò lateribus intesti-  
 norum impellantur ausu, membranæ eorum spasmò afficiuntur,  
 tenduntur & coarctatis iis per remoram intestina distenduntur,  
 qui porrò juxta longitudinem eorum cum ferantur, non tantum  
 rugitus & borborygmòs eosque sæpius insignes, *Vid. Th. 7.* excitant,  
 prout vaporum impulsio ac intestinorum renisus inter se vel ve-  
 hementia conveniunt vel debilitantur; Sed insuper hypochan-  
 dria distenduntur, & si in ventriculo simul tales reperiantur, ut  
 id necessarium est, eodem quo intestina modo ventriculus ten-  
 sus ulterius ut vesica inflata distenditur.

## Th. XIX.

Hæc omnia autem in ventriculo intestinorumque tractu fieri  
 cum nequeant, quin Spirituum spasmodici fiant motus, (in quo &  
 omnis flatuum consistit natura) majores isti erunt, prout velli-  
 eatio partium membranoso-nervacearum major nascitur. Cum  
 enim in vita corpori soli conveniente id observemus, quod ad  
 tensionem paulò majorem nobis non cogitantibus Spiritus co-  
 piosius influant, quid ni fiet ubi simul acre-austerum pecca-  
 verit? id non vellicationem tantum sed rosionem exserit, ad  
 quam non nisi spirituum vehemens impulsus ac influxus major,  
 & sic non tantum in partibus ubi fomes mali reperitur, spasmus  
 horrendus & convulsio insignis oritur, sed & reliquæ membra-  
 nosæ



nosæ partes, quibus vel ex eodem plexu rami sunt, vel vicin-  
 ratis onere in eundem coguntur spasmus, quæ si in plexibus me-  
 sentericis ramos ad mesenterii compagem & viscera eidem  
 annexa copiosos spargentibus fiat, non tantum globuli instar  
 convolutio fit, sed versus superiora viscera contrahuntur; quæ  
 spasmodica contractura cum facile & ad imas hypogastrii par-  
 tes feratur, & uterus ascendere, & superiora molem quan-  
 dam petere non tantum videtur sed reliqua *Tb. 7.* in infimo  
 ventre excitata symptomata infert. Quod si stomachicos lienisq;  
 plexus feriat spasmus, *wirdt es gehalten vor Milz Beschwerung.*  
 Spasmus autem nec sine doloribus fit, sed tum à tensione,  
 tum contractione periculum ruptionis multoties inducente in-  
 signes & passioni Iliacæ similes fiunt, ac insuper lancinantes,  
 si spasmus ab acido, aut contorquentes si acido junctum auste-  
 rum est. Salinæ istæ variè figuratæ partes inter membranarû alias  
 constantes poroshærentes obstruendo cum non accuratè reple-  
 ant eos, sed exigua relinquunt spatiola quæ plena esse debent  
 in iis trajicit ather & in angustis non sine insigni Velocitate,  
 quâ dum fibrillæ concutiuntur & agitantur æstus oritur isque  
 diversus, prout ejus farinæ obstructions vel superficiem vel  
 profunditatem habent. His ex eodem spasmo aliis juncti do-  
 lores nephritici sunt cum symptomatibus calculi reliquis, & si  
 ad artus hic spasmus extendatur, dolentes & illi fiunt. Quæ  
 diversa symptomata tum diversi fomitis latitantis loci, tum  
 causæ magnitudinis certi interpretes sunt.

Th. XIX.

Id acido-austerum totum pervadens corpus, præter id quod  
 membranoso-nervaceas partes cogit in spasmos, porro etiam  
 iis in locis simul ubi glandulæ sunt, suam vim exerit,  
 hinc lernam hujus mali potissimam in abdomine reperimus, in  
 quò glandularum & lymphæ farrago est; glandulas sic ad se-  
 cretionem stimulat majorem eamque spasmò juvat, quid inde  
 sperari potest sunt ructus & flatus & aucta convulsione subse-  
 quuntur frequentes vomitus, quibus si saburra in venticulo re-  
 periatur, ejicitur, suoque virore & acidum & humorum mu-  
 taram



tatam mixturam spasmō factam probat. Quod si autem fabur-  
ra deficiat, nil nisi inanis vomendi conatus relinquitur, quam  
diu constans in ventriculi fibris manet convulsio, sed eo ipso in-  
signis juncta præcordiorum anxietas esse solet, quam acido-au-  
sterum in ventriculi tunicas depositum contrahendo inducit,  
& contractione majori anxietatem auget. Quibus omnibus  
spasmodicis motibus cum ubique in circulo remora fiat, & tot  
repetitis partium conqvasationibus mixtura hinc pervertatur,  
facile obstructiones fiunt ab iis quæ facile hærent, & flavedine  
chyli colorem paululum mutarunt, quibus in superficie cu-  
tis hærentibus & flavo colore conspicuis Jæterus productus dicitur.

Th. XX.

Turbæ tales & ad ventriculum expansæ fieri in abdomine  
nequeunt, quin onere vicinitatis & quamprimum plexus sto-  
machici patiuntur, pariter ad thoracem ducantur, eodemque spas-  
mo & Diaphragma & Pulmones ex causâ eadem involvantur.  
Cordis motus sic statim sistitur, isque in systole & diastole pec-  
cat, dubio quo agitur motu, cor sic lætatur, tremit & pal-  
pitat, & respiratio non difficilis tantum, sed & interrupta fit, &  
suffocationi proxima redditur ægra. Sanguis interim in vasâ pro-  
pulsus eodem convulsivo cordis motu, cum non nisi difficulter  
à cordis excipiat sinibus, motu autem suo utroque impe-  
diatur, facit, ut lipothymia imò sæpè asphyxia cum cadavero-  
so aspectu oboriatur cum pulsu inde necessario suppresso &  
debili, fibrillarum corporis totius autem imminente quiete  
sic refrigeratione. Quandoque tussis est juncta eaque cre-  
berrima sed ferina, quæ si quicquid probare potest, spasmus  
ac convulsionem in pulmonibus probat ac reliquis id super-  
addit, quo orta dici merentur.

Th. XXI.

Nec colli fauciumque partes à lato tali spasmō munitæ  
privilegio sunt, sed ex communi turba eandem patiuntur con-  
vulsionem eundemque spasmus. Sic gulæ aliarumque in fauci-  
bus partium membranæ, quamprimum à lymphâ vel acidâ  
vel acido-austera eas irrigante spasmō afficiuntur, illicò & an-  
gusta-



gustari sentiuntur fauces, & pro diverso spasmorum grādu vel intrusa quasi moles est, vel quasi laqueo constringuntur fauces. Porro ex impedito humorum affluentium circulo spirituumque præsentia & oscitationes & pandiculationes fiunt, & tumor & rigor colli, vicinarumq; partium aut aliarum in quibus impedimentum idem est, hinc quoque tumor vel hydropicus vel tympaniticus fit, quem in parturiente quodam Caduco Muliebri exhaustā etiam post mortem notavit *Peeblinus. Obs. 30. p. 170.* isq; matutino tempore imprimis insignis est, quo spirituum influxus spasmodicus constans servatur. Huc pertinet testium in foeminis ex affectu hysterico excitatus & à Sydenhamio observatus hydrops. *Vid. cit. dissert. de affect. hysteric. p. 117.* Eo ipso autem cum simul glandulae cum alluentibus vasis comprimentur, humoribusq; profluendis relinquatur remora & sanguis ut in motu, ita in excretionibus ad naturam methodum exsequendis juxta *Sydenhamium cit. Lib. p. 109.* impar reddatur, magna quidem saliva profluit copia, sed aqua tantum non nisi tenuis, quae ob flexibilitatem pressioni spasmodicae cedit effluit, & non tantum sputatrices durante paroxysmo detas hystericas facit, sed cum spasmodica compressione salinum acido-austerum tubulis glandularum imprimatur ac quasi incune etur ad vellicationem & post paroxysmum, praesentem & continuam, non interruptus aqua spumosa ptyalismus adesse solet, ut hinc & plusculos dies & septimanas duraverit, quae quid curioso sanè exemplo in quadam puella notavit *Carol. Piso. cit. Obs. p. 136.*, quae ut cruciatibus per totam lunae quadram agebatur, ita tantam imò majorem quam à Mercurio per longius adhuc tempus ore ejecit aquae spumosae copiam, ut vel uno die quatuor libras redderet. Huc quoque pertinet dictarum hystericarum illachrymatio involuntaria, quae suos natales pariter spasma eidemque compressioni ac relictae vellicationi debet; idem enim ab eo hic mihi evenire videtur, quod in Anatomicorum experimento animalibus accidere solet, quae ex ligatis jugularibus venis ob sanguinis regressum impeditum & copiosam salivam eructant & inscie jucundo spectaculo illachrymantur,



tur, quæ ab hysteriis lachrymæ & magis durabiles sunt, quo vel lymphæ profluens palpebrarum vasa nova ab Excellentissimo Meibomio inventa urget, vel acre relinquit ad excretionem stimulans, quæ serum plus depluere pergit, quàm resorberi potest. Huc quoque referendam censeo urinæ lymphæ aquæ salientis ê scaturigine instar tempore paroxysmi excretionem, licet enim Renum ex canaliculorum & capillarum meatuum aggregie constans textura indefinenter urinam sæpè crassam multisq; hæterogeneis refertam partibus tum vel magnis quidem aut majoribus sed figuræ tubulorum renalium convenientibus, vel diversissimâ à tubulis renalibus figuræ sed minoribus, sic utrisq; transeuntibus transcolet, sæpè tamen occurrunt causæ, quibus tubulos renales oppressatos judicamus, limpida quæ tunc transit urinâ, ê quibus omninò & acido - austerum quo serum referatum est rectè accusabitur, hoc enim quamprimum alluit ob salia acria vel ipsos constringit tubulos, vel spasmus inde excitatus comprimit eos, ab utroq; sic excretio ita læsa, ut vel serum citius quàm salia ipsi junguntur, excernatur, vel non nisi serum limpida flexibilitate transeat & potius Aquam referat, quàm urinam.

## Th. XXII.

E vitioso acido sanguine cum & spiritus animales vitiosi sint, hætenus ad spasmus excitati, jam quoque ipsi in Caduco Muliebri excitando nocent. Prima quam habent ê sanguine labem, est crassities, hac infecti à determinato in nervorum principia motu facile declinant, & in ellipticum seu gyrosum abeunt, eo que ipso excitant vertiginè hysteriis frequentem, quam etiam ex molesta præcordiorum vellicatione fieri posse symptomatica & in aliis morbis oriunda vertigo probat Hæc superveniens aut præcedanea vertigo ex diverso eoque plus minus constanti ingyrum motu, gradus habet, quo cum facile omnis menti auferatur determinatio & sic simul in partes influxus, tandem collabuntur partes, quibus flaccidis corrui corpus & vertigo caduca advenit cum calligine, tenebris & cœcitate, aponia itidem adest vel cum sopore vel sensibus illibatis, quæ omnia ab eodem Spirituum anima



animalium peregrino motu, ac fortuito impedito influxu dependet. Quandoque tamen determinatum motum vitiosi animales Spiritus constanter fervant, & hinc ad inordinatum excitati non minori eum relinquunt constantiā, sic quamprimum spasmus fit, is in convulsionem mutatur, ac horrendis epilepsiae insultibus torquent spiritus animales ægram *vid. Tb. 7.* Sed tandem spirituum annona fit, omnium partium fibrillæ subsident tubulique angustantur, in quibus ob continuandum sed impeditum sanguinis utrumque motum cum crassiusculæ egressæ particulæ hæreant, (nam ex tubulorum angustiis non facile eluctari possunt,) varias pariunt obstructions, & hinc humores ordinariò circulantés dum subsistunt, pondere non solum gravativum faciunt in cerebro dolorem, quem cephalalgiam vocant, sed quoque eum magis acutum, quo istæ crassiores acie simul præditæ sunt, & fortuito hærentes Clavū producunt. Sed porrò, quæ altera Spiritibus labes, & ipsi acidi spiritus animales, sic nervorū principia nec attingere, nec in nervos influere possunt, quin prompta & in simul juncta adsit vellicatio ad spasmum, qui presso pede sequitur; sic non tantū diversi dolores capitis, sed in illis cerebri ex arteriis vasis compositis jam spasmò simul compressis plexibus sanguinis motu impeditus & in lymphaticis vasis stagnans lymphæ facile perumpunt cerebri ventriculos ac recessus, nervorumque principia inundant & Apoplexia necat hystericam, quæ quid in mulieris talis cadavere observatum curiosè recensent *Thom. Willis de morb. convulsiv. Cap. 10. p. 116. & Carol. Piso cit. Obs. p. 140.* Quæ sanguinis & lymphæ est vasis ruptura vel ex aliarum partium reiteratis spasmodis omni jure metuenda est. Et si aliis in partibus fiat, vel hemiplegiam vel paralytin inducunt, quam sanguinis feriq; colluviem & inde oriunda mala utut *Higbournus* per priorem in pulmones & *Carolus Piso* per posteriorem in alias ingeniosè explicent, quibus hic contradicere non est animus, potius tamen productum esse à tot ac sæpius recurrentibus spasmodis quam causam morbi statuo.

Th. XXIII.

Caduco muliebri hocce affectæ foeminae aliquando delirant.



liran; Effectus à mente habetur; hæc corpori ita jun-  
 cta est, ut ad legem conjunctionis omnia peragat quæ ad per-  
 ceptionem excitatam sequuntur. Quæ igitur mens semel per-  
 cepit inque perceptione junxit, ea prout sapius recurrunt  
 mentemque afficiunt, altius cerebro imprimunt ac retinet, ut à  
 levi data occasione eorum recordari possit; sed alterius sine al-  
 tero sic nunquam recordatur, quamprimum autem horum fit  
 recordatio, reminiscentiæ statim jungitur ratiocinatio; sic mens  
 de iis continuò insimul ratiocinando plura alia ex iis deducit,  
 & deducta vel gestibus vel alio quo solet & licet modo pro-  
 dit. Hæc omnia autem non nisi Spirituum beneficio peragun-  
 tur, quibus ut satellitibus sua cogitata exsequitur mens & vi-  
 ce versa percipit. Inordinatus igitur intra cerebrum ut in Ca-  
 duco Muliebri suboriri non potest Spirituum motus, quin dum  
 cerebrum pererrant, hinc inde vestigia imprimunt autem fami-  
 liaria aperiant, mentique repræsentent præteritarum, ut rerum  
 præsentium, mens legibus alligata cum non nisi de iis juxta  
 acta & probata ratiocinari possit, verè judicat, ac rectè ratio-  
 cinatur, suaque ratiocinatio jam verbis jam gestibus prodit, quæ  
 licet vera ac omni prudentiæ consilio formata, cum tamen  
 diversa sint à nostris quæ formamus, ratiocinatio, deliria statim di-  
 cimus, eaque vel ridicula, vel tristica, prout à nostris cogitatis  
 diversimodè abluunt. A mente sic deliria ut effectus haberi  
 non possunt, quamquam ex falsis actis & probatis mens ratio-  
 cinetur, sed ut judex ex falsis actis & relictis veram tamen senten-  
 tiam format, si modo juxta illa acta judicaverit, sicque judicem  
 errasse absurdum dicere esset, ita nec mens delirare dici potest,  
 sed de quibus ratiocinatur, quam absurda & ridicula etiam sint,  
 verè judicat; aut si deliria in mentem refundi deberent, omnia  
 vel prudentissimorum hominum ratiocinatio non nisi deliria erunt,  
 quod tamen à nemine asseri, poterit, nam id tantum differen-  
 tiæ intercedit, quod in iis qui delirare dicuntur à fortuito,  
 in aliis verò per objectum externum à determinato spirituum  
 cursu ortum habeant rerum vestigia. Interim jam ridicu-  
 la sunt, jam tristica quæ proferunt in paroxysmo histericæ, jam  
 ipsæ rident, jam lachrymantur, *vid. Th. 7.* prout vestigia repræ-  
 sen-



(25)  
sentata diversas animæ passiones jam olim junctas habent & retinent.

Th. XXIV.

Symptomata caduci muliebris ut ab acido eoq; sæpius austero explicata à folis animi commotionibus ut causis efficientibus æq; deduci poterunt, id enim diffiteri nequit pathematibus animæ magnam nostrum in corpus vim esse, ut *Renatus des Cartes* incomparabili de animæ passionibus tractatu egregiè docet, ad quem meritò hodiè lectorem remitto, id tantum noto: Spiritibus intra cerebrū sub primo passionis ortu motum fieri extraordinarium, sæpè inordinatum, quorum vitioso vel uno vel utroqve motu cum cor ut & reliqua vasa jam diversimodè contrahantur, jam eodem modo dilatentur, sanguis quoqve motu jam supprimitur, jam eo vehementissimo impellitur. Effectus inde varii, & ut ratione originis non intra cerebrum retinentur, ita nec complementi ratione ad cor & vasa sanguifera tantū sese expandunt, sed quam varii illi etiam sunt, pertotum tamen diffunduntur corpus & à magnitudine passionis vitiosè motis spiritibus magna quoqve caduci muliebris symptomata excitantur, & hinc spiritus si ob extraordinariū motum sub ipso circa nervorum principia influxu resiliunt & vertiginem causantur, aut vehementius influunt & dolores capitis producant, vel longius profluentes circa plexus alios aliis symptomatibus suum vitiosum præbent morum, ac omnia ab acido-austero antea excitata symptomata spasmodico à passione motu causantur. Et hac causâ vel ideo frequentissimus est caducus mulierum, quo magis foemina passionibus obediunt & sic irritata non facillè sedantur.

Th. XXV.

Consideratis igitur morbi diagnosticis ejusque causis, jam quoque paroxysmus ratione formæ & temporis considerandus esset, in his autem non ero prolixus, partim cum diversis invadendi modus, tum duratio paroxysmi ac recurrens periodus à causæ diversitate ac magnitudine dependeat, partim cum & latibulum fomitis mali non semper idem sit, quæ cum  
adin-



ad individua variant, effectus quoque ejusdemque duratio ac  
recurrens periodus vel æthere vel aliâ causâ, vel animæ passi-  
one quadam excitatâ mutabilis est ac variat. Quicquid hinc  
adhuc notam meretur, est id, ut circa diacritica occupari inci-  
piam, quibus ab aliis morbis hicce Caducus Muliebris differat ac  
distingatur:

## Th. XXVI.

Ab apoplexia igitur licet quadam caduco muliebri affecta  
mulieres syderatorum instar decidant & omni quoque sensu  
ac motu simul privata videantur, stertor deficiens tamen ægros  
ab eâ liberat, ac insimul vel sensus cum illibati sunt, vel ad mi-  
nimum obtuso sensu dolores percipiuntur, si vel acu vel alio  
acuto ac molestante corpore tangantur. A Syncope parum  
vel nil differt, sed læpè pulsus quo dignosci vult, satis suppressus  
est vel deficit, magis tamen in syncope habituali ad sensum abo-  
litus reperitur. Ad Catalepsi licet accedere rigiditate vide-  
atur & *Carolus Piso* id quoque ferè in quadam ægra asseru-  
isset: *Vid. Obs. cit. à colluv. seros p. 104.* subita tamen si non  
invasio, resolutio ejus tamen Caducum Muliebrem à  
Catalepsi distinguit, & si pulsus ad differentiam aliquid con-  
ferre debeat, in Catalepsi hic semper constans & in vigore cum  
calore corporis naturali est, qui tamen in Caduco Muliebri sem-  
per impeditus ac mutatus cum refrigeratione totius corporis.  
Plures ab aliis morbis differentias non addo, cum facilè sit re-  
liquos distinguere à Caduco Muliebri.

## Th. XXVII.

Potissimus autem qui signis diacriticis indiget casus est,  
ubi Caduco Muliebri laborantes exanimata videntur, quomodo  
à verè mortuis distingui poterunt? Tale quid facilius ac-  
cidere potest hysteriis dictis, quod de aliis quæ peste extinctæ vi-  
debantur postea recuperantibus vitam *Hildanus Obs. Chirurg.  
Centur. 2. Obs. 95. & 96. & Marcellus Donatus* aliiq; referunt, sic  
*Georgius Pistorius Sermon. Conviv. Lib. 1.* Matronam quandam  
honestam cum motum & sensum sex continuis diebus nullum  
habuerit, extinctam id propter ab omnibus creditam, reconva-  
luisse



fuisse afferit. *Plinius Lib. 7. Histor. Natural. Cap. 52.* foemina post  
 septimum diem ad vitam usuram revocata meminit, & quis quæ-  
 so de filia septennis cujus mentionem faciunt *Ephem. Germ. A.*  
*N.C. Decur. 1. Ann. 8. p. 159:* verâ morte dubitare poterat? cui  
 genæ cum ore pallebant, pulsus nullus relictus, tempora col-  
 lapsa erant, quæ commota & vellicata ne minimum sensus  
 præbebat indicium, cujus firmiter occlusum os, porro nulla  
 admittebat medicamina, nec minimum emittebat halitum.  
 verum enim verò nec hic satis tuta fides erat, quin potius mul-  
 tis laboribus per frictionem institutis, mortua ad suspiria vo-  
 cata, & tandem in vitam revocata, insigne animi deliquium aut  
 caducum muliebrem magnum fuisse probabat. Talis igitur  
 si fiat casus, & nec pluma levissima, vel gossipium tenuè, nec  
 speculum ore admotum, nec patina vel pelvis aquâ plenâ tho-  
 raci impositâ juvare ac dubium statum removeare valeant, vel  
 motu, vel macula, vel motu & effluxu acceptis; sternutatoris  
 periculum facerem, eaque solito vehementiora naribus in-  
 sufflarem, quæ non sperarem sine successu, quamdiu membra  
 adhuc flaccida spem quandam latitantis vitæ suscitarent. Quod  
 si autem rigiditate ac refrigeratione corporis cadaverosâ, spes  
 vitæ omnis rescissa videretur, sepulturam differri fraderem  
 quousque nec cadaverosus fœtor, nec partium livor adessent,  
 certi de mortis præsentia testes; Præstat enim lenè sufferre tædi-  
 um, quam ad id evitandum festinatâ sepulturâ, quâ in Hispania  
 Madritii quandam matronam gravidam sed caduco muliebri  
 vitâ suppressam in sepulchro parientem & ipsam & fœtum post  
 aliquot menses eum mortuum in dextro brachio tenentem  
 vitam prorsus amisisse refert *cit. Marcellus Donatus p. 107.*

## Th. XXIX.

Caducus hic Muliebris plus terroris quam periculi por-  
 tendit, hinc raro lethalis licet sæpius redeat, modo non nimis  
 gravia combinentur symptomata, hæc enim si superveniant,  
 usque non maturè occurratur, & periculosis & lethalis evadit,  
 majus tamen periculum gravidis ac præcipuè cachecticis est ob  
 abortus metum & cachexiæ augmentum, & puerperis ob vires  
 D 2 nifu



nifu graviori debilitas non minus minatur periculum. Por  
 rò quæ fortiori paroxysmo decumbentes sternutatoriis forti-  
 oribus moventur, majorem excitant restitutionis spem juxta  
*Hippoeratis aphorism 35. Sect. 5.* quàm in quibus hæc vis inanis est:  
 merus enim justus est imminens & subsecuturæ Apoplexiæ. Quod  
 si hicce morbus altas egerit radices, diuturnus, contumax & cu-  
 ratu difficilis esse solet, sæpiusq; recurrens prout spiritibus  
 animalibus tum debilitata crasis, tum nervoso-membranaceum  
 systema læsum est.

## Th. XXIX.

Utrumq; sic explicato morbo cujus causâ omnia hæctenus  
 dicta sunt, cura instituenda est. Cum igitur tum sanguis crassus  
 & austerus tum spiritus animales vel indole, motu, vel utroq;  
 vitiati accusati sint, quibus tot ac tanti membranoso-nervace-  
 arum partium spasmi excitantur, omnibus modis utrumq; cor-  
 rigendum est, sed sæpè præsentia exigit remedia accedens pa-  
 roxysmus, quibus spasmodica contractio & concussio subito  
 auferri debet. Duplicem sic hicce caducus requirit curam,  
 aliam quæ in paroxysmo, & aliam quæ extra paroxysmum  
 instituenda.

## Th. XXX.

In paroxysmo igitur ægra si vestita sit, imprimis armillâ,  
 vel aliis molestis vestibus, subito circa pectus aut ubi molestiam  
 pariunt, aperiuntur, ac ægra decenter scil. cervice & scapulis  
 elevatis collocetur. Postea autem si levior paroxysmus fuerit,  
 vel nil quicquam adhibeatur, sed sua sponte sine ulteriori spi-  
 rituum turbatione transire permittatur, juxta Willisium, vel si  
 gravior paroxysmus fuerit, omnia instituantur, quibus alior-  
 tum spiritus evocando inordinatus eorum motus ac influxus co-  
 hibeatur. Sic naribus adhibenda sunt subtilia ac quæ pene-  
 trant nervosque tangere possunt, eaque frequentius graveolen-  
 tia & quæ foetent, ut Castoreum, Alâ foetida, plumæ perdicum  
 aut verrucæ eqvorum accensæ, aut si illæ non satis afficiant,  
 castorei essentia aut Elixir uterinum, & similia cum spiritu salis  
 Ammoniaci parata, aut ipse spiritus salis Ammoniaci cum calce



viva destillatus, & alia salia volatilia oleosa admoveri possunt, aut graveolentium loco & suaveolentia ex aromatibus aliisve quæ gratum odorem spirant, vel ipsa ambra & moschus eodem modo adhibita conveniunt; multæ enim reperiuntur fœminæ quæ graveolentia & cum fœtore juncta ægrè ferunt & pariter conqueruntur, de quo Matrona cujus meminit *Simon Pauli*: in *quadrupart: Bontan. de angelica* conquereretur, cum præter impositum umbilico galbanetum, frustum Castorei aut penæ perdicum ustulatae naribus admoverentur: Ergone quæ nec emplastri uterini odorem ferre possum fœtida illa sufferam? insuper certè enecabor, quæ odore nucis moschatae sed non ustulatae refici sum solita. Hoc ut evitetur omnium optimè id agitur, ut sciscitemur si non ex ipsa ægra, cognatis tamen & quibus ejus vitæ genus constat, à quibus odoratis lædantur & quæ perferant; licet enim consveta non amplius ita afficiant ut requiratur, nec opus iis est, sed similibus mutari possent, sic si modo insolita fuerint naribus admota felicius spiritus in ordines vocabunt, quàm quæ ob fœtorem adversa non nisi noxam majorem metuendam inferentia.

## Th. XXXI.

His præterea, quæ naribus admovenda cum cautelis suavi, adjungerem alia, nimirum instituerem inclamationes imprimis proprii nominis, quibus excitari solent ob familiaritatem hujus vestigii intra cerebrum relictæ. Porro præ inunctione clitoridi vel vulvæ suaveolentium, quæ alias commendari solent, punctiones partium sensibilibus, aurium vellicationes, pilorum si non evulsiones, molestas tamen præprimis in pudendis contrectationes, per acriora & ligaturas dolorificas eligerem, quo spiritus à spasmodicis revocarem motibus, imprimis autem constrictionem validam circa regionem hypochondriacam svaderem, si spasmus in imo ventre globi instar ascendens observaretur; quæ supprimerem eum ac impedirem ne superiora petat, fomes spasmis enim si impeditur & affectio prorsus remittere debet. Nec omitterem stertutatoria paulò fortiora naribus insufflata, cum molesta tali intranarium

D3

narium



narium sensibilis tunica vellicatione spiritus aliò evocati à spasmis arceretur. Nec intermittendi clysteres sunt, qui ex carminativis parati cum aliis antispasmodicis non sine effectu adhiberi solent. Inunctiones in partibus affectis pariter commendarem, quæ si non ex oleis convenientibus solis placerent, ea salibus volatilibus disjuncta adhiberi possent, imprimis quæ ex terebinthinatis, Castorinis & similibus antispasmodicis constant, ubi nullus sic pororum obstructionis metus esse potest. Imponenda quoque emplastra sunt ex Castorinis & in specie ex Galbano, siquidem Galbanetum Paracelsi inter alia eminet. Paucis facerem ea quæ in Lethargo & Epilepsia paroxysmi tempore ad excitandam ægram facienda sunt.

## Th. XXXII.

Hiscæ externis vel similibus cum ad se ægra paululum redierit, aut talis status, ut ipsi aliquid propinari, possit nec negligenda interna sunt, imprimis talia quæ tam promptè sudores movent (nam sudoribus finiri solet paroxysmus,) quàm acidum destruunt & spasmum mitigant, spirituum inhibendo impetum. Talia è vulgaribus sunt, Zedoaria, Galanga, Angelica, flores Chamomill. Roman. & vulgar: Cortices Aurantior: Bacc. Juniper: Castoreum, Asa foetid. Fuligo furni & similia, vel sub pulveris vel decocti vel aliâ exhibitâ formâ, è Chymicis, salia volat. oleos. ex recensitis vel aliis parata valent, & iis postea paratæ tincturæ, v. g. Essent. Castor. imprimis cum spiritu: salis Ammoniaci aut quod melius, sale volat. oleos. Juniper. Essentiæ Zedoar, Corticum Aurantior: Croc: Liq. C. C. succinat, spirit. C. C. spirit. salis Ammoniac. vinos. in. quo olea destillata appropriata resorpta; item spirit. matricar, Elixir. uterin. Crolli, item Tinctura Antimonii Tartarisat. &c. &c. quibus tum camphorata, tum Theriacalia, tum Opiata jungi, aut variæ parari mixturæ possunt; siquidem ex sale volatili succini, Castoreo & Opio mixtura paroxysmum optimè sedare solet, imo singularem casum nuper mihi recensuit Magnificus Dn. Præses, ubi solâ tincturâ Opii verâ mulierem è caduci muliebris gravissimo paroxysmo pro mortuâ habitam ante aliquot annos non sine stupore adstantium liberavit.



liberavit. Nec intermittenda sunt absorbentia quæcunque v.g.  
Crystal. montan, ppt. terræ sigillatæ variæ, mater perlar.  
ppt, Corallia ppt, ipsa creta, lapides itidem pretiosi, &c.  
&c. item Cinrabarina & Antimoniata, quæ diaphoretica vi  
pollent; nec quæ ex animalibus detummuntur, ut C. C. sine  
igne, Mandib. lucii pisc, C. Cust. Lapid. percar. ppt, oc. 69. suc-  
cus stercoreis eqvini expressus & calidè propinatus, sperma  
ceti, item priapus ceti & cervi, quem posteriorem *Thomas  
Bartholinus Histor. Anatom. Centur. 6. histor. 50.* tanquam secre-  
tum in suffocatione uteri remedium etiam in paroxysmo cu-  
spidatum in cerevisia calente exhibitum commendat, Cujus lo-  
co rasuram mentulæ maritalis in caduco muliebri omnibus aliis  
remediis efficaciam præcessisse, ut agræ semper restitutæ fuerint,  
mulier quædam usu ejus sæpius in se & aliis felicissimè repe-  
tito, quam ex in audito in maritum defunctum amore eum ab-  
sciderat, inauditè comprobavit *vid. Ephemerid. German. A. N. C.  
Decur. 2. Ann. 5. Append. p. 6.* Et quæ alia sunt antepileptica &  
antispasmodici nomen merentur, quæ omnia vehiculis æquè  
appropriatis, ex Aq. Menth, Melis. Matricar. Lil. Conval, Aq.  
vit. mulier, &c &c. aut etiam Coffee patu assumi possunt.  
Hisce unica adhuc adjicienda notula est quæ circa externa jam  
adjecta; quibus scil. foetida sunt adversa & læduntur, iis grata  
aromatica Moschus & Ambra levamen ferre possunt. *Hor-  
stius Lib. 5. Prax.* similè quid recenset, ubi ægra horrendis ca-  
duci muliebris symptomatibus vexata ab uterinis sic dictis fo-  
dis graviora semper patiebatur, ex ambra & moscho autem  
odoratis & assumptis cum aliis cephalicis restitutæ; id quod &  
*Solenander Sect. 5. Confil. 5. S. 10.* refert, ubi mulier dolore capitis,  
contractione corporis, dolore inguinis, stridore dentium  
aliquando in terram cadens sine voce, ore clauso, paucis: caduco  
muliebri laborans, à Molcho ad gr. 13. cum sangu. dracon. ex-  
hibito in Aq. Naphæ promptè sanata est. His utut rarius id  
accidit vel aliis convenientibus remediis, paroxysmus licet su-  
peretur, ubi potum Thee vel Coffee largum svaderem, quo  
copiosè



copiosi sequi possint sudores, quibus largis liberantur, postea ta-  
men post paroxysmum aliquantis per iis continnandum est.

Th. XXXIII.

Symptomata quod concernit, licet ea saepius videantur pe-  
culiarem requirere causam, non tamen dubius inde fiat Medi-  
cus, sed constanti labore ac iudicio intendat tollere spasmi cau-  
sam, hac sublata aut sopita; reliqua omnia aut cessabunt, aut  
erunt mitigata. Quod si verò accidat ut quaecunque vel praes-  
tantissima & quae nunquam iuvamen denegarunt irritò cona-  
mine exhibeantur, agra interim instar mortuorum jaceat, &  
Vomitoria antimonialia dosi aucta exhibenda esse censeo, hoc  
ratio svalet, ita *Felix Platerus, Lib. 1. Observat. Vaalescus  
de Taranta de morb. mulier. Cap. 9.* & alii multas vomitu felici-  
ter curatas esse affirmant.

Th. XXXIV.

Curam post paroxysmum quod concernit, ad causam  
omnimodè tollendam, meritò labor adhibetur ac industria,  
ubi Venae Sectione curam hanc exordirer, imprimis si vel ple-  
thora vel minima insimul mensum observetur difficultas, im-  
minutà enim sanguinis quantitate, ille saepius ad cor redire sic-  
citus incidi, ac multò facilius aliis quoque; remediis crassities  
ejus & aciditas corrigi potest, eamque in progressu aliquoties  
reiterarer cum foramine in vena amplo, quo eò melius sanguis  
effluere posset. Delectum venarum non aequè instituerem, cum  
omnes meandros pererret & à peripherià ad centrum cor re-  
currentis sanguis suum indefinenter absolvat circulum. Si  
tamen quicquam discriminis ferri velit, cum ratione consenta-  
neum sit, in inferioribus venarum truncis sanguinem reperi-  
endum reliquo crassiore esse, venam pedis eligerem non  
quidem praecisè Saphenam, nec Popliteam, nec aliam, sed ex  
hiscetalem, quae conspicua magis est, & amplitudine se com-  
mendat, eamque perfici juberem eò quo imminent menses tem-  
pore. Huic venae sectioni autem non substituerem hiru-  
des, nec cucurbitulas sacrificatas, quamquam enim & his san-  
guis imminuatur; cum tamen posteriores è venis capillaribus sub-



subtilissimum sanguinem omnino retinendum eliciant, ab iis æquè ac ab hirudinibus abstinentum, quæ minores tantum aperiunt ramos, idque perinde relinquunt, quomodo sanguis emittatur, dummodo emittatur. Et si tamen julto tempore & copiâ debitâ mensium in ægra fluxus fiat, eo majus ab illo promitterem mihi emolumentum, quo consueta magis ac conveniens præ venæ sectione sanguinis hæc est evacuatio.

## Th. XXXV.

Sanguine sic imminuto, reliquus qui crassus, est incidendus austerus corrigendus, & ubi obstructions referandæ, viscera pariter à terrestri ac viscida fœculentiâ mundanda sunt. Eum in finem, quò sanguis diluatur ac multis medicamentosis partibus imprægnetur, sic omni tempore corrigatur & obstructions sensim deobstruantur; præscriberem apozema ex lignis & lignorum corticibus, imprimis Guajaci quæ pituitam potentissimè incidunt, radicibus itidem Chinæ, sarsaparillæ, radice lignosa sassafras, Corticibus Tamarisci, Capparum & simul Bryoniæ albæ, Helenii & Calami aromatici radicibus, quibus & herbas adderem vulgò uterinas dictas, Melissæ, Pulegii, Matricariæ, sabinæ &c. &c. ac pro meliori extractione non nihil salis fixi alicujus herbæ adjicerem, & aquâ chalibeatâ parari curarem decoctum, cui vel adderem Corticem Peruvianum vel insubstantiâ exhiberem, ob vim quæ pollet & laudatur aperiendi, discutiendi, attenuandi, quem Thomas Sydenham *Dissert. de affect. hyster. p. 133* sequenti modo laudat, *adhec Peruvianus cortex eximias mirandasque vires in sanguine & spiritibus consorciendis invigorandisque habere nonnunquam apprehenditur, cujus drachmam dimidiam mane & serò ad septimanas aliquot deglutiam, sanam firmamque corporis crasin, (tam viris hypochondriacis quàm hysteriis feminis diu multumque ægrotantibus, dejectâque jam quasi corporis æconomia) restituisse ipse observavi.* Talis vel similis apozematis haustus quovis mane in lecto fumatur, & corpus tamdiu benè tegatur, donec calor in artubus perceptus distributionem medicamenti per corpus factam indicet, ac nudum corpus fieri incipiat, qui horis pomeridianis repetatur, & motus corporis ad distribuendum per corpus medicamentum addatur.

## Th. XXXVI.

Continuato sic per aliquot tempus apozematis usu, si sanguis incisus & attenuatus videatur, ac præcipuè saburra in

E

pimis



(34)  
primis viis magis incisa & correcta sit, Purgatio propinetur,  
quâ primæ abstergantur viæ & à saburrâ liberentur, ubi vel Syl-  
vii gummatosas commendarem pilulas *Prax. Lib. 1. p. 188. Cap.*  
*14. § 50.* vel mercurium dulcem cum extracto Catholico, & simul  
stimuli loco nonnihil resinæ Jalappæ admixtum propinarem sub  
pilularum forma. Hac exhibitâ sufficienti purgatione, non fa-  
cile illic aliâ exhiberem, cum neq; causam mali tollere, ne-  
que obstructions referare possint, quin potius spirituum inor-  
dinatum motum promoveant, ac tandem eorû defectum inducant,  
& tenuem lympham educendo obstructions reddant pertinaci-  
ores, imò juxta Sydenhamii experientiam dum per Purgantia  
ingens humorum colluvies in viscera elicitur, iis in partibus de-  
posita fermentationes præter naturales irritent ac tumores in in-  
fimo ventre efficiant, eosque tantò magis indies mole au-  
gescentes reddant, quântò sæpius ægra purgetur *vid. cit. dissert.*  
*p. 121.* adde, quod à levi sæpius purgante inopinatò in spasmos  
hystericos dictos agantur foeminae, & sic multò minus suaderem  
Vomitorium, nisi spontè vel ægra ex præsentis fastidio inclinaret, vel  
saburræ in ventriculo stabulantis adsint indicia, ac ægra facile  
vomat, sed tali in casu tunc omnibus reliquis extra paroxysmum  
convenientibus remediis illud præcedat.

Th. XXXVII.

Dum autem apozematis vel ejus loco vini imprimis hi-  
spanici medicati usu sanguinis crassities corrigitur, strenuè etiam  
acidum & austerum est compescendum. Ad id obtinendum con-  
veniunt absorbentia Th. 31. nominata & similia. Porro salia fixa,  
alcalia per incinerationem parata, item salia volatilia C. C. vipe-  
rarum, Lumbricor &c. spiritus C. C. Liqvor. C. C. fuccinat, flo-  
res solis ammoniaci vel simplices vel martiales, spiritus fuligi-  
nis, salia volatilia oleosa, item Tincturæ vel Antimonii tartari-  
fata, vel martis antimoniata, tincturæ Croci, Cinamomi, Cor-  
tium aurantium, Elixir proprietatis sine acido, item Elixir  
uterinum Crollii; Tinctura balsami nigri de Peru, item de Copai-  
va, aliorumque aromatum, & Tinctura castorei, vel ejus pul-  
vis, vel extractum, spiritus itidem Melissæ, Menthæ Rosimari-  
ni, Pulegii &c. &c. particulis imprægnati valent, ubi nec  
omittenda Cinabarina sunt & quæ Succinata dicuntur, quibus  
& similibus vel apozemata acui, vel cum apozemate aliis sul-  
form



(35.)  
formis, vel follicularia aliis horis usurpari possunt, ubi quandoque  
& blanda diaphoretica valent. non sine successu exhibita.

Th. XXXIIX.

Inter omnia autem quæ acidum & austerum domant, & destruunt, merentur laudes Chalybeata, quorum incredibilem efficaciam in caduco hocce muliebri non tantum asserit *Thomas Sydenham cit. dissert. p. 120. & sequ.* Sed & optimè ab imputato sed falso nocumento liberat p. 121. & 126. cui quoque *Mercatus Zecchius* & alii Excellentissimi Medici ad stipulantur, & sanè optima sunt medicamenta, modo cruda exhibeantur; præparata enim ex iis sive sint Crystalli tartari martiales, sive tincturæ, omnem jam in præparatione amiserunt vim, quam assumpta intra corpus exferere deberent: hinc Limatura Martis cruda intus sumpta, optimum medicamentum est, siquidem quamprimum acido-austero humori occurrit, illum aggreditur, sui aggressus tesseram non tantum præbet ructibus, quos nidorosos vocant, sed & eo ipso aperit, dum fibras simul à spasmò liberans glandulis restituit vim liberius lympham plorandi ac siccitatem intestinorum tollendi, quo ipso alvum aperit. Sed porro nec in primis viis tantum efficax & auri fulminantis more excrementa alvina nigredine tingit, sed ejus volatiliores sanguini communicatæ partes, æquè corrigunt acidum ac cum eo luctantur, pulsus derepentè fit major & celerior, exteriora corporis incalescunt, facies non amplius pallida & mortuis concolor, sed vivida & sanguine purpurata. *vid. cit. Sydenham. dissert. Epistolar ad Gulielm. Colp. p. 121.* donec luctâ superatâ, & chalybis volatiles & sanguinis partes in unum motum conspirantes circulentur. fieri id nequit, quin obstructions simul deobstruantur, & sic ex voto egisse chalybeata effectus testetur. Id autem optimè notandum est, ne sub eorum usu exhibeantur purgantia, cum chalybis vires à cathartico intercidantur & infringantur, *vid. Sydenham. cit. loc. p. 12.* imò cathartico vel lenissimo tunc exhibito, die unicâ rursus demoleatur, quod toto vix octiduo Chalybis ope refarcitur. *vid. Sydenham. p. 124.* sub hoc chalybis crudi usu ad aliquot tempus continuato nec reliqua commendata vulgo dicta hysterica intermittenda; Sed subinde vel seorsim exhibenda sunt, vel Chalybi misceri possunt, quorum ordo & usus pro circumstantiarum circa egram vel morbum ratione facile determinari possunt.

E;

Th. XXXIIX.



Hiscæ autem subindè & Opiata admiscenda aut seorsim exhibenda esse censeo, si enim in ullo morbo, sanè hic conveniunt, ubi enim tam aperti & lati partium membranarum spasmus sunt, elasticis omnino opus est partibus, qui nervorum tubulos ingressa in cincinnos resiliunt & arctè complectendo influxum spirituum cohibent ac intercipiunt; talibus cum prædita sint Opiata, convenientissima omninò dicenda sunt, quod enim ex ligaturâ circa epigastricam regionem factâ ad spasmodum coercendum obtinetur, id circa singulos quos attingunt opiata fit nervos, & si spirituum motu ac influxu inordinato sedato, spasmus quoque & Caducus Muliebris desinunt. Hæc autem tum maxime exhibenda censeo, si imminens paroxysmus, insignibus signis spasmodicis se prodat aut sæpius recurrens sit, Vomitu itidem immani torqueat ægram; ubi post usum Opiati statim ægræ quies suadenda. Quod si autem solis fidere nolimus, alia jungi opiatis possunt & semper optimè junguntur; imprimis quæ sunt ex Castoreo & Camphora, ut & aromatica, hinc passim apud Autores laudani hysterici vel pulveris anodynii compositiones legimus, quæ feliciter opio ejusque usitato laudano substituantur. Si autem ne hisce uti velimus, Theriacalia optimè in usum vocantur ac imprimis quæ Theriaca cœlestis dicitur. Delectus autem horum non nisi circa individua institui potest, alias enim hæc, alias alia ex anodynis juvant, quemadmodum id observatum legimus quod fumis tabaci cujusdam uxoris immanes cruciatus reprimi potuerint, ut suis rebus domesticis quas longo jam tempore deseruerat, vacare posset *vid. Ephemerid. germ. Decur. 2. Ann. 2. p. 385.* Interim tamen id observandum adhuc adjicio: Opiata magnâ cautelâ nec nisi prudenti consilio exhiberi debere, ac in quibusdam Muliebris Caduci circumstantiis imprimis ubi sopor est, planè ab opiatorum usu esse abstinendum.

Th. XL.

Cæterum notandus casus est, ubi Caducus Muliebris vitio uteri oritur, hic in Puerperis est, cum enim uterus tempore gravidationis expansus & jam recens inanitus, non subito intra pelvim subsidat, ac hinc facillè jam tum ex partu copiosè influentes spiritus animales vel ipsius uteri vel vicinarum partium membranas in spasmum agant, remediis opus iisque talibus, quibus impetus



impetus coercetur, hinc ligatura circa infimum ventrem fortis  
 opime instituitur ac vel unguentis calide inunctis, vel fomentis &  
 emplastris impositis huic succurritur. Quod si autem simul jun-  
 gatur lochiorum suppressio, blanda diaphoretica cum antispas-  
 modicis & anodynis valent, & Clysmata terebinthina non sine  
 successu adhibentur. Et si eveniat, ut in vagina uteri fo-  
 mes Caduci Muliebris lateat, præter interna jam indicata exter-  
 na partibus convenientia applicentur. In aliis porro circum-  
 stantibus alia interna antehysteriis dictis jungi & commendari  
 possunt è propriis morborum, talium capitibus, modo talia ad-  
 hibeantur quibus tum spasmus tum obstructio & sic causa  
 remouetur.

## Th. XII.

Denique exacta diæta in Rerum non naturalium recto u-  
 su consistens medicamentorum usui jungi debet. Aer quem  
 spirat ægra sit temperatus, nec odoriferus vel suaveolentibus  
 vel foetidis pro ægræ idiosyncrasia refertus, qui alias nocere so-  
 let. Cibi sint boni succi & facilis concoctionis non lenti nec  
 crassi, nec austeri. Potus sit cereuisa clara & defœcata & aliquan-  
 do vini hispanici cochlearia aliquot assumantur, vel alia  
 corroborantibus medicata, à cuius vini abstinentiâ alias *Sy-*  
*denham* spasmodicum recenset motum in quodam factum *vid.*  
*cit. differ. p. 112.* & eo tempore quo ventriculus vacuus est, *Coffee*  
 & *Thee* potus paulum copiosus sit; hauriantur Aquæ minerales  
 & imprimis quæ ferro scatent. Corpus indies moveatur & ve-  
 hatur si fieri posset eqvo, tot enim succussionibus sanguinis  
 fœculentiæ educerentur. Somnus & vigiliæ modum habeant;  
 Venus si licite admitti possit, non sine præsentis erit auxilio, con-  
 jugio curatum esse caducum muliebrem testantur *Ephem. German.*  
*A. N. C. Decur. 1. Ann. 9. p. 113.* quod hinc & virginibus hysteriis  
 medicinæ loco esse asserunt. *Ephem. Germ. Decur. 2. Ann. 7. p. 224*  
 quod si imprægnatio succedat, sæpè ab illo morbo liberae sunt, quæ  
 extra illud tempus eo anguntur *vid. cit. Ephem. cit. loc.* Excernenda  
 & retinenda, juxta naturæ leges iuvanda vel impedienda sunt,  
 & Animi Pathemata vehementiora, rectæ rationis freno coercenda;  
 quod ultimum foeminis vel ideo commendandum, quo frequentior  
 anima



anima quaedam passio huius caduci causa esse solet, & si à qua-  
 dam caduco Muliebri laborent, eaqv: cognita sit, omnibus mo-  
 dis per rationes & tempore paroxysmi illa sedanda est. Quod  
 si autem remedium generale contra passionem desiderent, Renati  
 des Cartes consilio utantur, è quo sequentia merito notari pos-  
 sent. *Ubi sentitur sanguinis commotio, pramoneri & meminisse  
 oportet omnia quae se imaginationi offerunt non aliò spectare quàm ad  
 animae deceptionem, eique persuadendum rationes quae inserviunt  
 commendando objecto passionis suae longe firmiores esse quàm revera  
 sint, & è contrario debiliores quae eidem improbando serviunt. Et cum  
 passio eam demum persuadet quorum executio aliquam dilationem  
 patitur, abstinendum à ferendo ex illis extemplo iudicio, & aliò aver-  
 tendae sunt cogitationes, donec tempus & quies planè se avertant com-  
 motionem quae est in sanguine. Et deniq; cum incitat ad actiones in  
 quibus necessarium est consilium sumi in arena, debet præcipuè volun-  
 tas ferri in considerandis & sectandis rationibus quae contrariae sunt  
 illis quos passio profert, Etiam si minus validè appareant. Ita cum ex  
 inopinato insurgit & impedit aliquis adversarius, occasio ea non per-  
 mittit tempus in sumi deliberationi. Sed iam mihi videntur semper hic  
 posse qui solent animum reflectere super actionibus suis, ut nempe ubi  
 se metu occupatos sentiunt contentur avertere cogitationem suam à pe-  
 riculi consideratione, attendendo rationibus propter quas multò ma-  
 jor est securitas & honor in resistentia, quàm in fuga. Et è contrario ubi  
 sentiunt vindicta cupiditate & ira se incitare ad incurrendum præci-  
 pitanter in illos à quibus impetuntur, meminerint cogitare impru-  
 dentiam esse sese perdere, cum salus absq; infamia potèst obtineri. Et  
 ubi impares admodum fuerint vires, præstare honestè canere receptui,  
 aut in deditionem consentire quàm se more belluino exponere certa  
 morti. Atq; hæc sunt L.B. quæ in temporis ac pagillarum angus-  
 titiâ de hocce Caduco suppeditare potui, quod sicubi erravero, scias  
 velim, facile id hominibus accidere, nec felicitas æq; omnibus esse  
 ingenia, sed unumquemq; agere pro modulo sui cuiuscunq; in-  
 genii, si autem rem acu tetigero & imprimis ad tuum palatum  
 fuerit mihi gratulabor. Coeterum Deo gratias ago devotissimas  
 pro viribus concessis, ac ipsi porrò cœpta & consilia mea in  
 sui gloriam & proximi emolumentum commendo.*

F I N I S.











(37)

impetus coercetur, hinc ligatura circa infimum ven  
 optimè instituitur ac vel unguentis calidè inunctis, vel  
 emplastris impositis huic succurritur. Quod si autem  
 gatur lochiorum suppressio, blanda diaphoretica cu  
 modicis & anodynis valent, & Clysmata terebinthina  
 successu adhibentur. Et si eveniat, ut in vagina  
 mes Caduci Muliebris lateat, præter interna jam indi  
 na partibus convenientia applicentur, In aliis porro  
 stantius alia interna antehysterics dictis jungi & con  
 possunt è propriis morborum, talium capitibus, mode  
 hibeantur quibus tum spasmus tum obstructio &  
 removetur.

Th. XII.

Denique exacta diæta in Rerum non naturalium  
 su consistens medicamentorum usui jungi debet. A  
 spirat ægra sit temperatus, nec odoriferis vel sva  
 vel foetidis pro ægræ idiosyncrasia refertus, qui alias no  
 let. Cibi sint boni succi & facilis concoctionis non  
 Crassi, nec austeri. Potus sit cerevîsa clara & defœcata &  
 do vini hispanici cochlearia aliquot assumantur,  
 corroborantibus medicata, à cuius vini abstinentiâ a  
 denham spasmodicum recenset motum in quodam fac  
 cit. differ. p. 112. & eo tempore quo ventriculus vacuus est  
 & Thee potus paulum copiosus sit; hauriantur Aquæ m  
 & imprimis quæ ferro scatent. Corpus indies moveatur  
 hatur si fieri posset eqvo, tot enim succussionibus sa  
 fœculentiæ educerentur. Somnus & vigiliæ modum h  
 venus si licitè admitti possit, non sine præsentem erit auxili  
 jugio curatum esse caducum muliebrem testantur Ephem. G  
 A. N. C. Decur. 1. Ann. 9. p. 113. quod hinc & virginibus hy  
 medicinæ loco esse asserunt. Ephem. Germ. Decur. 2. Ann. 7.  
 quod si imprægnatio succedat, sæpè ab illo morbo liberæ fun  
 extra illud tempus eo anguntur vid. cit. Ephem. cit. los Exce  
 da & retinenda, juxta naturæ leges juvanda vel impedienda  
 & Animi Pathemata vehementiora, rectæ rationis freno coër  
 quod, ultimum foeminis vel ideo commendandum, quo frequ

